

M E D I C U S

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM ANNUENTE

MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE ET DIRECTORE

AC

INCLYTA FACULTATE MEDICA

PRO GRADU,

DOCTORIS MEDICINAE

RITE OBTINENDO

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITIT

MAURITIUS DEUTSCH.

theses adnexae defendentur in palatio Universitatis maiore
die Mensis Maji 1833.

B U D A E ,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

Jede Fäuschung ist schädlich.




MAGNIFICO AC SPECTABILI

DOMINO

LUDOVICO SCHEDIUS

S. C. R. M. A CONSILIIIS. PHILOCALIAE PHILOLOGIAE
I PROF. PUBL. ORD. NEC NON LINGVAE GRAECAE PROF.
EXTRA ORD. IN R. SC. UNIV. HUNG. FAC.
PHILOSOPHICAE SENIORI. etc. etc.



Haice paginas

voret



Аустор.

§. 1.

Qui officiis suis stare vult illa apprime noscat oportet, neque datur munus quod exactius gestum prosperiores ferat fructus, neglectumve in deteriorem pullularet segetem.

§. 2.

Medici officia multa esse et varia, quibus Civitati universae, collegis, sanis, aegris, moribundis opitulatur, e quibus tamen illa prae reliquis selegi quibus aegrotis obstringitur cum princeps medici finis sit, morbos sanare, lenire.

§. 3.

Primum aegri examen exactum sit, medicus attentamente collegat, quae ad Anamnesim, Diagnosim, Prognosim faciunt, ut morbi hypotyposi cognita ad illius naturam internam (*νοσῶμενον*) quoad licet concludat, atque indicationibus iuste pensatis iis congruam superstruat therapiam.

§. 4.

Medicus aliam conaminis partem, ut prosit non tantum faciat ut nimio zelo abripiatur in suscipienda temeraria, quae facile nocent; quod ut praecaveat noxios medicaminum effectus et contraindicationes noscat velit, quod praeprius de heroicis valet quorum minores etiam doses graviores inducunt effectus

§. 5.

Symptomata morbi cum illis naturae renitentis sine gravi detrimento confundi non possunt, inflammatione quae sphacelo limites ponere nititur fracta, aeger inermis succumbet.

§. 6.

Medicus coram aegro bona spe fulciri videatur, quod plus quandoque ac medicamentum iuvat. Qui aegro mortem annunciat eam accelerat. Gravissimae solum causae exceptionem admittunt, et si ob res familiares (ad condendum testamentum monendus) aeger de sorte sua attentus reddi debet, id cautissime fiat, nec unquam mortem instantem praedicere fas est, sed solum nos omnes mortales monere licet; amicos tamen et cognatos si id exposcunt de rei veritate edoceamus; caveat veroq[ue] medicus plus promittere ac se praestiturum certus est.

§. 7.

Parabolani, et qui aegrum adstant iuste instruendi sunt, quo misso optimum saepe medici consilium irritum erit; neque raro evenit ut aegri data opera medicum decipiant, et contra eius praecepta proposito peccent.

§. 8.

Merito magni habetur medicus, qui morbum mox cognoscit, et rectam prognosim statuit, quo in arduo negotio cognitio morborum hereditariorum et illorum qui saepe simulantur, aut dissimulantur, et morborum qui sibi multum similes sunt habenda. Ocultantur vero frequenter, vesaniae, epilepsiae, graviditas, syphilis, pollutiones morbosae, incontinentiae aliae, impetigines, herniae, alia vitia organica; in disquirendis his, nos quidem decipi non patiamur, ast verecundiae aegri quam optime possumus parcamus, et altum subin observemus silentium.

§. 9.

Maxime proteiformes morbi sunt nervosae, febres biliosae, exanthematicae, quorum diagnosi quoque difficilior. Difficulus admodum cognoscuntur morbi orthopnoea comitati, quae tot morborum, indole multum diversorum, symptoma est.

§. 10.

Haereditate potissimum propagantur, haemorrhoides, calculus, podagra, epilepsia, mania, phthisis, apoplexia, scrophulae etc. Dispositio similis cogita, diagnosis multum facillitat. Non minoris attentionis digna est constitutio epidemica, stationaria, annua, intercurrentes, quae omni morborum decursui multas et insignes imprimit modificationes. Quam solertissima attentione tractet medicus morbos acutissimos, versatilitate insignes, ut sunt affectiones infantum et gravidarum, et praecipuis illos, quorum non secunda erui poterat diagnosi.

§. 11.

Tempore omni, ac omni hora medicus arma arripere paratus sit, nam saepissime inexpectatum repellere invitatur, morbum, horumque diagnosis et therapiam mente praesentia in omni habeat, exemplo sint: haemorrhagiae, apoplexia, asphyxiae, intoxicationes, asthma spasticum, gravia febrium symptomata, rabies, laesiones traumaticae, horum morborum insultus quandoque ita praecipitanter invadunt, ut quidam medici pharmaca quaedam generosa, e tempore adhibenda praesto habeant.

§. 12.

Praxim fausto eventa rorantem non exercebit medicus, nisi aegri receptivitatem acque ac morbi characterem respexerit, hic medicamenti qualitatem ac speciem indica-

bit, illa formam et quod plus est dosim determinabit potissimum, si ad haec dijudicanda morbi causa et symptomata, aegrique constitutio non sufficiunt, indicationem uberriorem iuvantia et nocentia suppeditabunt.

§. 13.

His de morborum recta dijudicatione breviter praemissis in sequentibus illas medico vindicare initar dotes quarum tutela eum in gravissimo negotio ab infaustis tuebuntur erroribus, ac omni aestimatione dignissimum, nec non injusta calumnia superiorem reddent, canonesque constituent quarum observatio illum medico in Civitate vindicabunt locum qui quam diguissimo muneri suo respondet:

§. 14.

Paucos aegros assumat medicus curandos. Juste animadvertit Celsus (lib. 3. cap. 4. in med.) Medico non posse plures uno tempore curari, eumque artificem idoneum esse qui non multum ab aegro recedit. Quomodo enim fieri potest, ut quispiam tot curandis diversis morbis occupatus, recte symptomata inquireat, tempora morbi spectetur, statum morbi aestimet, praeteritas, praesentes, et futuras morbi vices contempletur; diem decubitus memoria teneat, cum necesse sit non solum semel in die, sed bis ter, et saepius aegrum unum invisere, cum acutus morbus vel momento temporis maximas subitasque struat mutationes? Nam summum conatum opponente natura, et noxium a se depellere contendente, organis et functionibus superioribus multum labefactatis, varia accidunt symptomata saeva et terroris plena, quibus si medicus generoso animo, praesentia sua non reluctetur, veris auxiliis instructus, et vel intempesta nocte accurrens, aeger saluberrimis praesidiis destitutus, extemplo occumbet.

§. 15.

Vaticinium quod medicus de probabili morbi eventu pronunciat cautum sit, necesse est. Ait quidem Hypocrates (lib. 1. prognost. tex. 4.) Medicus morituros, evasurosque praenosces, ac praenuncians culpa vacabit. Praesagium in morbis multis respectibus summe laudandum: ex omnibus enim Medicinae partibus nulla est quae medici praestantiam artisque excellentiam adeo ostendat, ut ea quae eventus praesagiendi rationem docet.

Haec pars ad medicum summe pertinet neque est supervacanea et a medicina aliena ut quidam asserebant; praesagia enim aegros ad obtemperandum faciles reddunt et tempus remediorum demonstrant opportunum, ac denique medicum a mortis crimine immunem faciunt

§. 16.

Deinde alia est utilitas quae ex praedictione emanat: quoniam medicus praesagiendo affectiones futuras antevertit, symptomataque imminencia praecavet, et sic praeservationi est utilissima et praestantissima, melius enim est imminentem morbum praecavere, quam factum curare,

§. 17.

Utut praesagium sit summae dignitatis et utilitatis, cum tamen difficillimum sit et obscurissimum, fit, ut multi, et periti sane medici, in illo istituendo coecutiant et vacillent, maxime si morbus acutus graviter infestet. In morbis acutis non dantur certae praenunciationes, cum aliquando (quamvis raro) contingat optimum quoque medicum, aberrare. Hoc autem fit ob subitam in indicatione permutationem morbus, saepe cito ex insonti fit vehementissimus, et ab organo dignitatis minoris in nobilissi-

mas quasque migrat partes, et summas, vitae alendae necessarias turbat, ac intercipit functiones.

§. 18.

Rationalem medicam profitendam esse artem, paucis evincere licebit, cum eo nunc progressum sit medicinae studium, ut empirica medendi ratio paucos reperiat defensores et vindices. Empirici eorum solum notitiam habent aegritudinum, quas prae frequentia, et ex iterato eventu aestimare didicerunt, negari id circo non potest, plurimas subterfugere illorum cognitionem, frequenter solum tractatas illis evenire familiares, raras vero tanquam ignotas nequidem adtingere. Quare etsi medicina ars conjecturalis appelletur, et praesertim ea pars quae locorum morborumque occultorum cognitionem inquirat, id solum artificiali conjecturae locum, et pretium adsignat, quin tamen medendi methodo rationali palmam eripere possit, limites enim intellectui humano praefixi non aliud docent, ac speculationi fidendum non esse quam si illius effata experientiae datis conciliari possint. Neque nobis erit empiricus ille medicus, qui collectis causis et symptomatibus morbi formam colligit, et ab inde illius naturam quoad licet autumnabit

§. 19.

Experimento et rationi in arte summa, locus est cum hae solum viae cognitioni humanae pateant, et experimentum nihil aliud sit, quam comprehensio, observatio, et memoria eius, quod saepe et eodem modo fit, est idem ac experientia illa, solum obveniente differentia, quod rationes eventus ab homine disponantur, et effectus provocentur solvendis dubiis apti, quare ut experientia e sensu fit, et experimentari nihil aliud sit, quam id quod nondum constat opere tentare.

§. 20.

Est autem experimentum multas ob causas periculosum: ob materiae circa quam, in arte medica, vensatur, dignitatem, varietatem, ob errorem artificis non oportuna remedia adhibentis, funestum saepe saepius nusquam corrigendum, ac demum, ob naturam rerum ac praesidiorum, a quibus experimenta depromuntur. Medicaminum itaque experimenta fiant in homine temperato, simplici morbo adfecto, distinguantur effectus per se, et effectus per accidens, ab iis, qui a medicamentis ipsis profluunt.

§. 21.

Quapropter cum experimentum sit fallax et periculosum, et longum persaepe temporis intervallum, et multas condiciones requirat, ideo artem longam reddit, sive per doctrinam, sive per inventionem ars acquiratur, licet multo citius post inventionem artis assequantur. Quare et iudicio assequimur rationes, quibus invenimus, et inventa confirmamus, et veritatem omnium, quae sub arte continentur indicamus. Omnis scientia humana sensui et iudicio innititur, quis itaque dubitabit arti medicae his subsidiis praeprimis opus esse, ut proficua expleatur?

§. 22.

Non nisi qui obiter Hippocratem legit, ei obvertet, quod occasionem praecipitem compellavit iniuste, cum haec admonitio medicos hortetur, ut occasione quo ocuis, attentius, diligentius utantur. Quanti autem sit hoc praecipitum, ad artem momenti, inveniet, qui non ignorat, occasionem nihil aliud esse, quam opportunitatem alicuius rei, quae habet idoneum tempus faciendi, vel non faciendi.

§. 23.

Subjectum circa quod versatur medicina nobilissimum, aequè respiciatur oportet. Istius tanta profecto est dignitas, ut cum ad duas res natus sit, ad intelligendum et agendum, tam felicibus pernoscat productus auspiciis, ut non modo elementis velocitate misceatur, et acumine mentis descendat in maris profunda, sed omnia plane illi collucescant, nec coelum videatur altissimum, sed velut e proximo mentis sagacitati id suae subjiciat contemplationi, intucatur, miretur. Corpori quoque humano, nihil deest ad perfectionem. Hic vero quod inter omnia ratione polleat, ac intelligentia, organum habuit, cui reliqua universa nequeant comparari. Datae namque manus sunt, quae armorum omnium vicem implent, praestoque sunt mirabili Divinitatis providentia, ad perficiendum quidquid ratio dicat. Insuper hominem natura intensius amplexatur, producitque veluti quiddam absolutius et perfectius creatura quavis.

§. 24.

Insuper, siquid rebus in magnis conari fas est, hominis dignitatem sequentibus Senecae verbis vindicabimus: „Si quis“ inquit „se ipsum consulat, videbit quantam „cupiditatem habeat ignota noscendi, quam ad omnes fa- „bular excitetur! Nauigant quidam, et labores peregrinationis longissimae una mercede perpetiuntur, aliquid „abdutum, remotumque cognoscendi. Haec res ad spectacula populos eontrahit, haec cogit praeclosa rimari, secretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbarorum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium „dedit; et artis sibi ac pntehritidinis suae conscia, spectatores nos tantis rerum miraculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam subtiliter ducta, tam nitida, et non uno genere formosa, solitudini ostenderet.“

§. 25.

Tanto ergo et tam amplo inbuti argumento nihil foret malitiosius ac desidia aut levitas, quippe quae deterrimum inducit fructum; alterius artis cultor si in errores delabatur non illam ilaturus est desidia poenam.

§. 26.

Est autem utilissimus et praestantissimus medicinae finis sanitas utpote, praesupponens in corpore temperantiam, mediocritatem. Quare cum sanitas generis humani fluxa sit et fragalis, plurimisque obnoxia mutationibus, eam oportet ut medicus resarciat, et a tot injuriis defendat et tutetur. Quid inculcata sanitate desiderabilius vel dici vel excogitari poterit? Quae opes diurno nocturnoque labore congestae, animum corpusque oblectare possunt, dum morborum torturis miseri excruciamur, ac tabescimus? Ex his concludo nullam Reipublicae felicitatem, absque medicorum consiliis et opere subsistere diu posse, et plurimum laudandum esse medicum, cuius conamina nihil aliud ac civium sanitatem intendunt.

§. 27.

Medicinae difficultatem plura arguunt, diversis linguis exculta, et ab aliis ad alios traducta est, ut sic necesse sit evolvere diversissimos libros plurium linguarum. Secundum quod cum homines simul et medicamenta mutantur per tempora; et regiones, necesse est non uti simpliciter scriptis, sed pro varia hominum sorte diverse uti. Tertium quod oportet totam artem habere in numerato, non enim subitus et acutus morbus, praestat inducias, auctores consulendi; exigunt enim res medicae examen multum, ob difficultatem et pondus et rursus summam breviter, ob memoriae promptae necessitatem. Sed nec post lectionem plurimam, nec post parcissimam, neque

post immensam difficultatem, lecta memorandi, proficiet medicus, antequam adhibeat crux alterum exercitationis multae.

§. 28.

Medicus doctus generoso animo vulgi calumnias contemnit. Non enim cessat ignarum vulgus, inani quadam ac futili opinione turgescens, medicos reprehendere imo damnare, ob causas multas, quia vanam putat medicinam, quod plus noxae afferat quam utilitatis; et cum in caeteris artibus, de sola praestantia artificis dubitetur, in hac et de arte et de artifice. Solvendae igitur primum vulgi objectiones, subin veritas firmanda. Multas e grauibus morbis citra artis auxilium conualescere dicunt, quod quidem saepe evenit quin tamen negare possimus, dari morbos, qui sine cura medica nunquam componentur, ut syphilis cancer.

§. 29.

Ex eo quod arti non succedat omnes sanare morbos, omnesque restituere aegros iniqua medicis illata calumnia, natura enim cuiusvis rei, et ars statutos terminos habent, nam infinitum abhorrent. Ergo quemadmodum accusare naturam rei, quod non possit ultra sua instrumenta deliratum est, ita et artem. Ergo morborum tria genera: leves sola natura sanat, conclamatos nec ars medica, ii tamen plurimi ab arte sanantur et non a sola natura.

§. 30.

Morbi quidam sunt manifesti, in quibus non est magna medici disceptatio, alii sunt interni quos ille e paucis et incertis solum signis cognoscere potest, sed cum sola ratione ducatur, quae saepe anceps est, fit ut ut multoties fallatur. Et hoc artis ignominiam et incertitudinem non arguit. Solius enim Dei est nec fallere nec falli, et supra hominis ingenium est, errore vacare. Contrariac me-

dicorum de quovis aegroto sententiae indicant artis vanitatem et incertitudinem : maxime quia illi sunt aliorum famae detractores , nam docti carpunt indoctos , ut rudes , et eum ab indoctissimo quoque multi sanentur , et ab illis , moriantur , et experimentum eruditionis suae patefacere nequeant , sit ut quod opere praestare non possunt , maledicentia venentur . Aut si alii artifices ut Jurispereti et Theologi ; data consultandi mora saepe diversa spondent quid faciant medici , quibus non demonstrantur affectus , et quod malevoli peccent , artis dignitati nihil detrahit .

§. 31.

Curatio sit cita , tuta , et iucunda , absolutionem itaque operis consequatur , sic ubi haec vires medici aut artis excedat , saltem cubantem non laedat , tertium ut vitium non facile revertatur . Iucunda vero erit , si cum aegri oblectamento procedat , quando videlicet medicus aegro gratificatur non solum in cibo et potu , sed medicamentis et cubiculo in quo decumbit , et iis omnibus quae oculis obijciuntur , et sermonibus et odoribus ; et omnia alia re quae aegro plaecat , et illi grata sit hilaritatem et laetetiam pariat .

§. 32.

Medicus rectis indicationibus nixus veraque fretus methodo , naturam operantem imitatur . Nam natura est omnium opifex , et morborum medicatrix quo pacto medico decorum est , illius vestigia presse sequi . Fit enim ut quantum quis ab normali typo recedit tantum aegrotat ; si parvus est recessus labes est parva , si magnus , maior , si ingens , erit morbus lethalis . Nam quod praeter naturam est , quantum recessit ab eo quod secundum naturam tantam habet pravitatem . Quare de natura sciat medicus necesse est , et eam omni studio aunitatur ut cognoscat

si modo aliqua eorum quae fieri debent recte praestare velit.

§. 33.

Sanandis feliciter morbis gravioribus multum opitabitur si iustum seligere sciverimus et observare momentum quo remedia heroica efficaciora propinanda sunt. Quantum illa sagacitas aegris emolumentum, quantum medicis addiderit laudem, illorum non fugiet intellectum, qui noverunt quam feliciter degeneratio morbi in characterem malignum praecaveatur, si illud iuste medicamentis gravioribus, antagonisticis, alterantibus adsignatum fuerit temporis momentum quo mutatio ista funesta tacito gressu, obruere nititur aegrum. Sed et consuetum in omnibus fere morbis crisis solvendis, aut cyclico curriculo insignibus, aliam atque aliam idem medicamen inducet sequentiam, prout diverso diei tempore, diversoque morbi stadio exhibitum fuerit.

§. 34.

Non mediocrem indicationis rationalis paginam negliget medicus, qui missis omnibus rationibus psychicis, solum mutationibus morbosis somaticis intentus erit, iisque solum debellandis operam navabit, arctum enim foedus quod inter principium cogitans; adpetens, et organon intercedit necessario pathematum animum conuellentium effectus in corpus saepe saepius redundare faciet. Non raro itaque frustra adminicula e pharmacopolio, et diaetheticis petentur ut morbus componatur, quod non succedet, nisi adtentione in abnormitates animae directa, quibus rite cognitis saepe simplicissimis adminiculis, corporeae componuntur turbae, quare medico animi humani indago gravissima semper et dignissima disquisitionibus supererit scaurigo, e qua quoad humanis licet cancellis, hauriat velim.

§. 35.

Comendari meretur ut quivis medicus pharmacopolia saepius accedat, de medicamentorum qualitatibus et preparatione certus edoceatur, quoniam vero valde multa sunt, complurium sine hoc adminiculo qualitates externae memoriae penitus excedere possent, quod medico contumeliae ac damno cederet.

§. 36.

De celebrandis consiliis medicis, sequentia adnotanda veniunt:

Ubi medicus in casu graviore, vel de diagnosi stabilienda, de prognosi pronuncianda, aut de therapia eligenda, dubius, discernere non potest, consilium suadere imo expetere tenetur, aegri ita, ut propriae tranquillitatis causa. Non enim vita hominis parva est res, quae si forte qualicunque culpa medici aliquid detrimenti pateretur, quantum rationum reddendarum onus, conscientiae eius ineumberet! Imprimis cautissimos nos esse oportet, si aeger est aliquis, cuius mortem, vel ob merita, genus, doctrinam, familiae sortem fulcro orbatae, vel ob iuventutem venustatem multi multum dolerent. Talibus in rerum adiunctis mature, cum prudentia tamen, suadendum consilium. Caeterum in omni casu ab aegri vel necessariorum eius arbitrio dependet, an velint habere consilium, vel non, vocandi vero sunt duo vel tres viri docti, concordantes, quos plerumque aeger eligit; his ordinarius omnia anamnestica exactissime referrat, eorum sententias de diagnosi, et therapia exaudiat, atque iis pro optima sua conscientia in salutem aegri utens, ipse therapiam persequatur. Consilii medici unus et supremus finis est salus aegri; itaque nec superflua urbanitate ducti sententiam nostram, alterius forte sententiae repugnantem pro-

ferre vercamur, nec ad alios supplantandos occasione et loco abuti audeat aliquis !

In casu illo si medici de illis quae facienda sunt dissentientes, nulla ratione convenire possent: dicendum foret aegro, esse plures vias salutis, eligat eam quae placeat; itaque adoptabit aeger sententiam illius, erga quem maxima geritur fiducia.

Non licuit mihi ob limites, qui prima conamina litteraria arctant, gravem hancce materiam omni e parte dilucidare, et paucis solum graviora officii medici momenta, collustrasse sufficere.



LITTERATURA

- Hippocratis Coi. Opera Parisiis Anno 1546
Aurelii Celsi, de re medica libri Lugduni 1542
Z. Lusitani introitus ad praxim Lugd. 1643
Bohn. de officio med. duplici Lips. 1704
Fr. Hoffmanni. Medicus politicus Halae 1746
F. C. Weinhardt. de Medici prudentia morali Diss.

XXVI. Oenip. 1716

- J. A. Sicci. de optimo Medico liber aureus Erf. 1749
Philiiatri. medicinischer Machiavellus 1722
Der Arzt wie er seyn sollte Strassb. 1777
Uden. Medicinische Politick Leipz. 1783
Starke. wahre u. falsche Politick des Arztes Jena 1784
G. Wedekind. über das Betragen des Arztes 1789
Rusch. Medicinische Untersuchungen s. 321
Cullen. Treatise of the mat med. Edinburgh 1722
Brown. elementa medicinae Lond. 1779
Zimmerman. von der Erfahrung Zürich 1831
J. V. Hildenbrand. Institut. clinicae Vienn. 1807.
J. Bernt. syst. Handbuch d. Staats-Arznckunde Wien
n 816
Lud. Schedius. Philocalia Pestini 1829.
-

T H E S E S.

1. **M**edicus tunc est perfectus, dum etiam chirurgus est
 2. Substratum febris intermittentis, systema gangliosum est.
 3. Contagium lyssae solum saliva propagat.
 4. Enthelmintorum origo per generationem aequivocam optime explicatur.
 5. Vita altior in partibus organismi fluidis, non solidis quaerenda.
 6. Non est syphilis ex Blenorrhoea.
 7. Fluxus menstruus non e plethora explicari potest.
 8. Vis naturae sibi relicta, non omnes morbos feliciter tollit.
 9. Nulla theoria omni respectu vera.
 10. Nulla theoria penitus falsa
 11. Genus humanum unicam constituit speciem
 12. Natura simplicibus eget remediis.
 13. Dentes ad systema cutaneum, non ad ossium pertinent.
-